



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pax vera in omnibus quærenda, amicitia humana non magni facienda; quo pacto item Deo confidendum sit. Epist. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

aut vincantur: quia tam ipsa pugna, quã deuotio sensibilis ac Dei amor (quæ exercetur per spiritualia exercitia) multum faciunt ad debilitationem vitiatorum & exercitationem virtutum. Amando enim Deum amantur virtutes, & quicquid Deo est placitum: vitia etiam & peccata inde magis fiunt detestabilia. Sed nunc bene vale.

Par vera quantopere in omnibus sit querenda, amicitia humana non magnificianda: quo pacto item Deo confidendum sit.

Epistola XIX.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.
Filio suo N. charissimo salutem.

Consulo tibi fili, vt in omnibus Deum syncerum quæras, eius voluntatem omni alteri affectui præferendo. Ita fiet vt nihil contristet te, nihil fiat contra voluntatem tuam, quæ semper nititur se regulare secundum Deum, & omnia de eius manu accipere.

Vt in omnibus liceat pace perfrui.

Qui in cunctis optat voluntatem Dei, huius nunquam Deus contraria agit voluntati.

Non debes sollicitudinem habere circa futura, vt propterea declines à sinceritate: nec quæras habere amicos, aut assistentes vel adiutores, etiam in bono, sed quære in primis Deum. Et si eius voluntati cõgruit vt ad hoc ad quod cupis, amicos habeas homines, bene fiet. Si verò non placet illi, aut si non est desiderium ac conatus tuus ex Deo frustra disponis ad hoc amicos, & vana est sollicitudo tua, & (si non sincerè procedis) impia. Non debes velle, quanto minus procurare hoc, quod Deus avertatur. Quod autem Deus voluerit, non potes melius impetrare, quam Deum quærendo, ei vacando, prouidentia eius confidendo & committendo, & nihilominus operam tuam cum sincera intentione & adione eidem rei applicando. Verbi gratia: Nonnulli vt promoueant nouiciandum, (quæ res bona in se est) multa agunt non sincerè factis, & interdum certant, rixantur, amaricantur &c. veluti non confiderent Deo, qui melius sine vitijs & impuritatibus huiusmodi disponderet, si sibi committeretur, & nihil (nisi quod cum eius amicitia fieri posset) fieret. Quod si displicet Deo, vt talis promotio fortiatum effectum, male agitur, voluntati Dei renitendo. Si autem placet Deo, propter eius voluntatem promouendã, non oportet per media illicita & offensiuã ambulare. Ita est in similibus. Qui haret semper Deo, & purè quærit Deum, & confidit ei, huius studia semper diriguntur ad opratum finem absque grandi cura.

Amicitia humana non esse ambiendam.

Vt Deus dirigat conatus omnes, ipsi confidendum.

Quidam ita certant pro nouiciandis recipiendis, aut similibus bonis studijs, atque contendunt, vt omnino iuste putent se zelari pro Deo, cum tamen pro sua voluntate zelentur. Hoc liquet inde. Si eandem personam alius promouere moliretur, aut si crederent promouendum non sibi familiarem futurum, aut alterius discipulum fieri, & similia, non ita zelarentur: fit etiam vt contradicentibus aliquibus co vehementius insistant, ne voluntas propria, sed aduersantium potius succumbat. Ergo non propter Deum laborant, sed pro seipsis. Tu hæc & id genus vitia caue fili, & vale.